Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1417

Quelle:
Copyright:

In quo verus intellectus omnium ſcripturarum et prophetarum inuenitur ſaltem in illis paſſibus, in quibus fides catholica fundatur, de quo ſemper deo gratias. Similia his leguntur etiam in Exemplis *impreſſis*, de quibus *loco ſupracit.* mentionem injecimus.

CCCLXIX.

674 Codex chartaceus ital. Sec. XVI. Folior. 19. 4. nitide ſcriptus, et variis ductibus florulentis ſic ſatis ornatus nomen Autoris ita praefert: *De la ſua Sacra Maieſta fidelliſſimo ſeruitor Marco Lombardo ia Ebreo fatto Chriſtiano con la ſua Conſorte et cinque figlioli ad honore domini noſtri et ſaluatori Jeſu Chriſti* &c. Linguae minus peritum vides Νεοφυτον, quod et ſequentia confirmant; offert enim *Maximiliano* II. *Demonſtratione de gli paſſi ſopra la ſcrittura in defenſione de la fede di Chriſto vero Meſſia, Contra de Hebræi.* Quod quid ſit, aegre diſpicias, niſi dicam, XII. eſſe Symboli Apoſtolici *Articulos*, ſingulis vulgo Apoſtolis tributos, quorum quivis locis e Lege Veteri et Prophetis depromtis illuſtretur et confirmetur. Ita initium: *De La Trinita. Geneſis al Primo. Petrus. Credo in deum patrem omnipotentem creatorem cæli et terræ. Articulo Primo. Nel principio, cioe, nel figliolo, creo idio il cielo et la terra: Et il ſpirito de idio era portato ſopra le aque* &c. Ad calcem: *Il Fine.* M. D. LXVIII. Sed adhaeret: *Inuitto fatto da Chriſto in croce al giudeo accio ritorni a la fede delle chriſtiani.* Strophis rhythmicis, quarum principium:

A bracia aperte iuſto (io ſto) *ſemper et aſpetto*
O giudeo oſtinatto che à tornare
Ti moui à me che ſon ſicur ricetto &c.

Ita recta ſcribendi ratio paſſim violatur, neque *Marcus* hic προσηλυτος adcenſeri meretur *Paulis Ritio* et *Weidnero*, *Ant. Margaritae* &c.

CCCLXX.

896 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 140. 4. ſequentia *Pauli Ricii*, de quo plura inferius, Scripta complectitur: I. *Talmudica* (ita in edit. Auguſtana 1519. 4. vocantur) *nouiſſime in latinum verſa periocunda Commentariola.* Sunt vero praeter excerptam R. *Moyſis Maimonidis* in משנה *Miſchnam* ſeu Legem Secundam Judaeorum Praefationem Epitome Tractatus ברכות ſive *Berachoth de Benedictionibus*, qui eſt primus Ordinis I. זרעים ſive *Zeraim*, id eſt, *de Seminibus.* In Editione memorata dicatur haec Epitome una cum alia, de qua N. III. dicemus, *Leoni* X. Pont. Rom. ſequiturque *Praefatio* ad Lectores,